



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Die XXIV. Maji. In Festo B. Mariä Virginis, Titulo Auxilium
Christianorum**

Paderbornæ, ca. 1790

Ad Vesperas & Matutinum. Hymnus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60406](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60406)

DIE XXIV. MAJI.

IN FESTO

B. Mariæ Virginis,

TITULO AUXILIUM CHRISTIANORUM.

Duplex Majus.

*Omnia ut in Festo S. Mariæ ad Nives,
præter ea, quæ sequuntur.*

*Si fiat temp. Paschali add. Alleluja Antiph.
Vers. & tres Psalmi dicunt. per singulos Noc-
turnos sub primâ Antiph. cujuslibet Noct.*

Ad Vesperas & Matutinum.

Hymnus.

Sæpe dum Christi populus cruentis
Hostis infensi premeretur armis,
Venit adiutrix pia Virgo cælo
Lapsa sereno.

Prisca sic Patrum monumenta narrant,
Templa testantur spoliis opimis
Clara, votivo repetita cultu
Festa quotannis.

En novi grates liceat Mariæ
Cantici lætis modulis referre
Pro novis donis, resonante plausu
Urbis & Orbis.

O! dies felix, memoranda fastis,
Qua Petri Sedes Fidei Magistrum,
Triste post lustrum reducem beata
Sorte recepit.

Virgines castæ, puerique puri,
Gestiens clerus, populusque grato
Corde Regina celebrare cœli

Munera certent.

Virginum Virgo, benedieta Jesu
Mater, hæc auge bona; fac precamur,
Ut Gregem Pastor Pius ad salutis
Pascua ducat.

Te per æternos veneremur annos,
Trinitas, summo celebranda plausu,
Te fide mentes, resonoque linguæ
Carmine laudent.

Amen.

ψ. Dignare me &c.

Ad Magnificat Antiph. Ecce Maria
erat spes nostra, ad quam confugimus
in auxilium, ut liberaret nos, & venit
in adiutorium nobis.

Oratio.

Omnipotens, & misericors Deus, qui
ad defensionem Populi Christiani in
Bâtissima Virgine Maria perpetuum
Auxilium mirabiliter constituisti: con-
cede propitius; ut tali præsidio muniti
certantes in vita, victoriam de hoste

maligno consequi valeamus in morte.
Per Dominum.

Ad Matut. invitat. Sancta Maria Dei
genitrix virgo, * Intercede pro nobis.
Pf. Venite, exultemus. *Hymnus.* Sæ-
pe dum Christi, &c. *ut in Vesperis.*

In II. Nocturno.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

Ex Sermone de xij Stellis.

Lectio iv.

Vehementer quidem nobis, dilectis-
simi, vir unus & mulier una nocue-
re: sed gratias Deo, per unum nihilo-
minus virum & mulierem unam om-
nia restaurantur, nec sine magno sceno-
re gratiarum. Et quidem sufficere po-
terat Christus: si quidem & nunc om-
nis sufficientia nostra ex eo est; sed no-
bis bonum non erat, esse hominem so-
lum. Congruum magis, ut adesset
nostræ reparationi sexus uterque. Jam
itaque nec ipsa Mulier benedicta in mu-
lieribus videbitur otiosa: invenietur
equidem locus ejus in hac reconcilia-
tione. Opus est enim mediatore ad
mediatorem Christum; nec alter no-
bis, utilior quam Maria. Crudelis ni-
mium mediatrix Eva, per quam ser-
pens antiquus pestiferum etiam ipsi vi-